

f) Valide Ordinati, quamvis invite.

(Vis et metus.)

Hispalen.

(Conc. Tr. C. 5. Sess. 23. De Refor.)

Joseph Sarco praetendens S. Subdiaconatus ordinem per vim et metum illatum a Sebastiano patre nulliter suscepisse in mense Septembris anni 1709 curavit post obitum patris sequutum die 30. Octobris sequentis ex delegatione hujus sac. congregationis in curia archiepiscopali Hispalen. examinari formiter sex testes, quorum tamen primus, secundus et quintus deponunt tantum de auditu; tertius et quartus enixam voluntatem patris, ut filius diaconatu insigniretur, testantur; sextus testis oratoris confessarius deponit se interposuisse, ne Sebastianus cogeret filium invitum ad susceptionem ss. ordinum et concludit, „non lo pote persuadere per il crudele naturale di detto Don Sebastiano.“ E contra vero promotor fiscalis in actis protestatus fuit, oratorem quamvis laurea doctorali insignitum suscepisse ordinem nulla praemissa protestatione et post obitum patris non reclamasse, nisi post triennium. Ulterius idem promotor novem testes contra oratorem induxit, inter quos recensentur mater, soror et avunculus oratoris, qui deponunt, Sebastianum patrem fuisse virum optimis moribus imbutum et negant suppositum metum et minas; sextus testis fiscalis deponit ab Josepho oratore fuisse requisitum post obitum patris, ut ipsi procuraret coadjutoriam cujusdam dignitatis; neque videtur se retractasse in secundo examine, dum testis confirmata prima depositione addidit, a Josepho se acerbis verbis reprehensum; cum illi proposuisset permutationem beneficii, quod est quid diversum et ultra contenta in prima depositione; nonus testis, qui in primo

examine deposuit habuisse a Josepho in mandatis *post obitum patris*, ut illi procuraret aliquod beneficium, in secundo examine confirmavit saltem, post obitum patris oratorem ipsi per epistolam gratias egisse de adhibitis diligentibus, transmittendo etiam munera et pecunias. Quare ex his aliisque uberius legendis in depositionibus testium orator supplicat EE. VV. pro resolutione sequentis dubii:

An constet de nullitate collationis ordinis?

S. C. C. resp.: Negative et amplius. Die 28. Mart. et 2. Maii 1716.

Vd.: *Ord. ad Subd. etc.* (def. intent. etc.)

26) Tempore chori.

Vd.: *Ordinat.* (altare; decr. *Giennen.*)

27) Tempus.

Cf.: *Ordines minores* (temp.); *Ordinatio* (dies); *Mandatum apost.*; *Olea sacra* (Consecr. decr. Pii VI.).

Non licere pluribus Episcopis in eadem Ecclesia et eodem tempore Ordines conferre et abusus praedictum eliminari. n. 2727 die 30. Mart. 1675.

Episcopo Segobric. annorum 62 et atrophia laboranti non licet transferre promotionem Ordinandorum ad Presbyteratum ad dominicam proxime sequentem diem Ordinationum, licet numerus Ordinandorum non ascenderet ad numerum intentum in rubrica. n. 3727 die 4. Julii 1705.

Ad dubium: Si Episcopo detur facultas conferendi s. Ordines festivis diebus, potestne illos conferre in diebus apostolorum caeterisque per ap. Sedem abrogatis? hisce autem diebus licetne conferre etiam *Ord. minores*?

S. C. resp.: Affirmat. ad primam partem et etiam ad secundam sed mane tantum.

Die 12. Novb. 1831 ad 1.

Innocentius PP. XII.

Sanctissimus D. N. Innocentius PP. XII. pro pastoralis suo in commissum sibi Gregem Dominicum zelo ac tuendae Disciplinae Ecclesiasticae studio prospicere volens, ne Indulta suscipiendi extra Tempora a Jure statuta Ordines nimis facile concedantur, Congregationi particulari E. D. Cardinalium Carpinei, Casanatis, Marescotti, Colloredi, Panciatici et Albani nec non Illustrissimorum DD. Sperelli, Ciampini, Sacripantis meique Secretarii infrascripti speciliater deputatae expendendas commisit Causas, ex quibus praefata Indulta tribui solent, ut Sanctitati Suae referri posset, quae ratio deinceps ineunda modusque adhibendus videretur in concessione similium Indultorum. Quae quidem Congregatio in aedibus praefati Eminentissimi Carpinei die 10. Nov. atque iterum 7. Dec. Anni currentis habita, re mature discussa, censuit Indulta hujusmodi, si Sanctissimo placuerit, concedi posse ex Causis infrascriptis videlicet:

Ut quis Beneficio, vi cujus arctatur ad Presbyteralem Ordinem suscipiendum, vel alteri etiam perpetuo Beneficio, quod obtinet, vel Capellaniae ad vitam sibi concessae per seipsum inservire possit. Ob penuriam Sacerdotum in illis Partibus vel in Monasterio pro Regularibus. Ob solatium Patris vel Matris, dummodo quinquaginta aetatis annos excedant et Orator saltem per triennium in Clericali habitu honeste et laudabiliter vixerit. Item concedi posse censuit eadem Indulta Referendariis utriusque Signaturae, Familiaribus Summi Pontificis, Canonicis Cathedralis vel etiam Collegiatae Ecclesiae eorumque Coadjutoribus, Magistris seu etiam Baccalaureis in Sacra Theologia; Doctoribus utriusque vel saltem Canonici Juris seu Licentiatibus, dummodo singulos praefatos Gradus in

publica et approbata Universitate obtinuerint; iis autem, qui saltem per triennium sedulam Theologiae studiis operam navaverint, ac tandem vigesimum sextum aetatis annum excedentibus, per triennium in Clericali habitu honeste et laudabiliter vixerint.

E contra censuit non expedire, ut eadem Indulta concedantur ex eo, quod quis Diaconus, Subdiaconus, Literarum Apostolicarum Scriptor sit, seu Magister in Artibus, Nobilis aut Praesens in Curia vel quod Philosophiae cursum absolverit, aut alicui Ecclesiae adscriptus fuerit, ad cujus servitii titulum ex Apostolico Indulto Clerici ordinari possunt, aut Onus Missarum, non tamen ex Beneficio ecclesiastico proveniens, habere se doceat.

Insuper censuit Indulta hujusmodi deneganda esse iis, qui aliqua Dispensatione indigent impedimenti ex eorum delicto provenientis et Sede Episcopali vacante infra annum a die vacationis minime danda iis, qui Beneficii Ecclesiastici recepti seu recipiendi occasione arctati non fuerint.

Item nunquam concedenda pro festivis diebus continuis, sed semper pro interpolatis aliquo temporis spatio arbitrio Episcopi definiendo.

Denique censuit Episcopos omnes ac etiam Apostolicos Nuncios et Legatos Literis in forma Brevis circularibus admonendos, decrevisse Sanctitatem Suam Indulta praedicta non ita passim, sed ex certis tantum legitimisque causis concedere, nec Episcopos ad eorum executionem astringere, sed illam semper ipsorum arbitrio, onerata eorumdem conscientia, relinquere. Item per eadem Indulta licentiam non tribui promovendi quempiam ad Patrimonii titulum, nisi ad normam Concilii Tridentini Sess. 21. cap. 2. Eos vero omnes, qui ab Apostolica Sede facultates obtinent conferendi Ordines extra Tempora vel aliis re-

ritate dignaremur. Nimirum petiit, ut quoniam ex constitutionum earundem praescripto alumnos nonnisi ex titulo patrimonii ad sacros promoveri ordines liceret, ideo propter multorum inopiam jure illo speciatim ac distincte augeri per Nos suam Congregationem cuperet, quo jam ipsa potiri caeteroquin affirmat illo videlicet jure, cujus vi sibi ac successoribus suis futuris temporibus generalibus liceret etiam mensae communis titulo suos alumnos ordinibus sacris initiandos offerre, iisque literas, ut vocant dimissoriales, concedere. Atque secundum id petiit etiam, ut, si aliquos postea dimitti alumnos contigerit, his nihil omnino deberi ab eadem Congregatione declarem.

Nos igitur petitioni ejusdem Superioris generalis praedictae Congregationis sanctissimi Redemptoris annuentes pro singulari, quo Congregationem eam prosequimur, dilectionis affectu volentes quoque ac scientes, sive, ut dici solet, motu proprio et certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque apostolicae potestatis plenitudine per hasce literas nedum confirmamus sed etiam ex integro nunc jus illud eidem Congregationi perpetuum in modum elargimur et attribuimus, quo, tametsi non vota solemnia sed solum vota simplicia cum juramento perseverantiae in ea nuncupentur, Superior generalis pro tempore alumnos suos vel ob eorum inopiam vel alias ob causas titulo mensae communis, contra quam in supradictis constitutionibus praescriptum est, sacris ordinibus initiandos offerre atque his in casibus literas dimissoriales concedere idem per se ipse possit et valeat. Quum autem revera accidere queat, ut alumnus aliquis post susceptos ordines sacros, emissis jam antea votis simplicibus factoque perseverantiae juramento dimittatur justis scilicet gravibusque de

causis (de quibus tamen Superiores non tenentur dimissis rationem reddere) juxta ejusdem Congregationis Constitutiones, Nos animadvertentes aequibonique rationi illud neutiquam consentaneum esse vel quod praedicta Congregatio, quae in dimissionibus hujusmodi jure suo utitur, oneri quidpiam suppeditandi obnoxia remaneat vel quod sibi ex sua culpa is, qui causam dimissioni praebet, commodum nanciscatur, Congregationem ipsam hac super re ab omni in posterum vindicandam molestia censuimus. Quare non optatis solum hodierni ejusdem Superioris generalis obsecundantes, sed eodem etiam, ut supra diximus, motu proprio plenaque scientia ac deliberatione atque apostolica auctoritate Nostra id quoque per praesentes declaramus atque decernimus, Congregationem nempe sanctissimi Redemptoris nulla obstringi prorsus obligatione ad subministrationem ullam sive congruae sustentationis sive alimentorum nomine aut alio quovis titulo et causa illis praebendam, quos, post emissa jam vota simplicia factumque perseverantiae juramentum, extra ipsam Congregationem ejici contingat, quamvis ad sacros antea ordines sine patrimonio et sine ecclesiastico beneficio quocumque sed solo mensae communis titulo, juxta ea, quae superius dicta statutaque sunt, iidem fuerint promoti, dum in eadem Congregatione manebant.

Haec ergo concedimus et declaramus decernentes has literas formas validas et efficias existere ac fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere eidemque Congregatione eorum causa, quae expressa sunt, hoc futurisque temporibus plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari et definire debere, ac irritum et inane, si secus

super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attigerit attentari.

Non obstantibus felicis recordationis Benedicti XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum aliisque apostolicis ac in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et sanctionibus necnon praedictae Congregationis sanctissimi Redemptoris et ecclesiarum atque locorum quorumlibet legibus, consuetudinibus ac privilegiis juramento etiam vel confirmatione apostolica roboratis, quamquam pro illorum derogatione specialis mentio facienda aut alia exquisita formula servanda esset, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut harum literarum exemplis etiam praelo traditis manuque publici notarii vel secretarii praedictae Congregationis subscriptis et sigillo Superioris generalis ejusdem Congregationis vel alterius viri et dignitatem ecclesiam evecti, munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi ipso hoc diplomato ostenso haberetur.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 11. Martii 1828.

(Bull. r. Cont. t. XVII. p. 342.)

29) Vi et metu urgente Ordinandum.

Vd.: *Ordinatio ad Subdiac. etc.* (Valide Ordinati quamvis invite; *Hispalen.*; *def. intent. et tactus etc.*)

30) Unius.

Ad dubium: Utrum, etiam quando unus in Episcopali Sacello ordinatur, palam interdicare debeat Episcopus per unum ex suis, sicuti habetur in Pontificali Romano:

„Ne quis accedat irregularis.“

Et S. eadem C. ... rescribendum censuit:

„Affirmative.“

Atque ita rescribere censuit et declarare.

N. 5180 ad 4 die 25. Sept. 1852.

ORDINES MAJORES.

Num possint conferri ab Episcopo illis Regularibus, quibus Abbas non ab Episcopo sed ab Abbate benedictus Minores conferebat?

Vd.: *Ordin. minor.* (Num Abbas bened. non ab Episcopo sed etc., decr. diei 12. Feb. 1724.)

ORDINES MINORES.

1) Num Abbas benedictus non ab Episcopo, sed ab aliis Abbatibus, et PP. Generalibus, possit conferre Tonsuram et Ordines minores?

Ad dubium: An Abbas Lubensis caeterique ejusdem Provinciae Abbates presbyteri non benedicti ab Episcopo sed a suo PP. Generali vel ejus Subdelegatis possint tonsuram et Minores suis subditis Regularibus conferre, ita ut, nisi aliud Ordinatis obstat canonicum impedimentum, teneatur Ordinarius illis conferre Ordines majores?

S. C. C. resp.: Affirmative et amplius. Die 12. Febr. 1724. *Uratislaviens.* (Conc. Tr. C. 10. Sess. 23. De ref.)

Adnotationes Secretarii S. C. C. circa collationem Tonsurae et Minor. Ordinum, quae fit ab Abbatibus regul., qui Benedictionem Apostolicam aut Episcopalem non receperunt, suis subditis Regularibus.

Nonnulli sunt in Jure canonico Textus ad expositam materiam pertinentes. Primus est in *Can.*: *quoniam dist. 69. ibi: Lectoris autem manus impositioni licentia est Abbati, solummodo in proprio Monasterio faciendi, si dumtaxat eidem Abbati manus impositio facta noscatur ab Episcopo secundum morem praeficiendorum Abbatum, dum constet illum Presbyterum.*

spective tribuendi licentiam, ut conferant, maxime cavere debere, ne praescriptos sibi in iisdem facultatibus limites cujusvis consuetudinis aut exempli praetextu transgrediantur.

Haec autem omnia et singula supra-scripta Decreta, audita ex mea integra eorum relatione, SS. D. N. laudavit et approbavit ac tam in Dataria et Secretaria Brevium, quam a caeteris omnibus Ministris et Officialibus Curiae, ad quos pertinet, perpetuo et inviolabiliter servari mandavit, sublata omnibus quacumque facultate praedicta Indulta aliter, quam ad formam eorumdem Decretorum in posterum expediendi.

Hac die 14. Decb. 1693.

Carolus Augustinus Fabronus,
Secr.

(Bull. r. t. VII. pag. 294; t. XII. pag. 212.)

Pius PP. VI.

Quamvis, ut ecclesiastica disciplina ubique locorum diligenter ac exacte observetur, pro officio Nobis adeo absque ullo meritorum Nostrorum suffragio ex alto commisso, vigili studio ac pastoralis quidem sollicitudine curare teneamur, illud tamen interdum evenire compertum est, ut providi aequae patris familias sit vel eam in aliqua parte moderare vel etiam ab ea omnino discedere, prout debita considerationis trutina omnibus prius pensatis circumstantiis praedecessorum Nostrorum etiam exempla sectantes in Domino salubriter expedire conspiciamus.

Itaque, cum Nobis nuper pro parte dilecti filii Joannis a s. Joachim prioris generalis fratrum ordinis B. M. V. de Monte Carmelo Excalceatorum nuncupatorum congregationis Lusitanae expositum fuerit, quod, cum interdum non sine gravi sui ordinis et congregationis incommodo contingat, ut Epis-

copi ob unam aut alteram causam etiam statis temporibus in suis respective dioecibus clericos ad ordines promoveri nequeant: Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignemur.

Nos igitur tum ex expressis causis tum ex aliis animum Nostrum moventibus ordinem ac congregationem hujusmodi specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes hujusmodi supplicationibus inclinati ordini ac congregationi praedictae, ut ejus alumni ad quatuor minores, quatuor festivos vel feriatis etiam continuis vel interpolatis et ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines aliquibus tribus dominicis aut aliis festivos pariter continuis vel interpolatis diebus extra tempora a jure statuta et non servatis interstitiis a concilio Tridentino designatis et anni curriculo minime expectato, dummodo tamen ad hoc alias ab ipsis locorum ordinariis idonei reperi fuerint, a quocumque, quem maluerint, catholico antistite gratiam et communionem apostolicae Sedis habente et in propria dioecesi residente vel in aliena de dioecesani loci licentia pontificalia exercente promoveri et promoti in illis etiam in altaris ministerio ministrare libere ac licite valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus et tam memoratis religiosis ordines praedictos suscipiendi, quam cuicumque antistiti illos conferendi licentiam et facultatem impertimur.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 17. Aug. 1779.

(Bull. r. Contin. t. VI. p. 135.)

Vd.: *Ordin. Regul.*

28) Titulus.

Pius PP. V.

Cum non decet divino ministerio adscriptos cum Ordinis dedecore mendicare aut sordidum aliquem questum exercere, in S. Trid. Concilio decretum fuit, ne quis deinceps Clericus saec. ad s. Ordines promoveretur, nisi prius legitime constaret, eum beneficium eccles., quod sibi ad victum honeste sufficeret, pacifice possidere vel alias ordinari non posset nisi juxta decreti a Concilio Trid. ipso editi tenorem. Cum autem nulla in hoc decreto mentio *Religiosorum* Clericor. facta fuerit ac propterea nonnulli Religiosi seu Canonici seu Clerici more Regularium in communi viventes, *qui nunquam seu non nisi ad certum tempus professionem emittunt* et ex claustris exire vel dimitti, ad saeculum redire libere et licite possunt, Religionis praetextu absque titulo sufficientis Beneficii nec juxta dicti decreti tenorem ad s. Ordines se promoveri praetendunt et a nonnullis Episcopis passim promoveantur, atque inde plerumque illud inconveniens eveniat, ut si promoti a claustris exeuntes vel mendicare vel sordidum questum exercere non sine Ordinis et Christianitatis scandalo cogantur: Nos hac perpetuo valitura sanctione decretum praedictum de Clericis saec. loquens *ad omnes et singulos cujuscumque Ordinis* Clericos Religiosos sive saeculares more Religiosorum viventes in communi, non professos, horum serie extendimus et ampliamus, ac Religiosis et aliis praedictis non professis, ut ad s. Ordines promoveri, nec non omnibus et singulis *VV. FF. Patriarchis, Archiep., Episcopis* communionem Sedis ap. habentibus, ut Ordines ipsos hujusmodi Religiosis impendere, nisi observata forma praedicti decreti, Nos virtute s. obedientiae interdicimus et prohibemus ac contrafacientes per annum

a praestatione talium Ordinum ipso jure suspendimus, statuentes promotiones quarumlibet religios. personarum ad ordines hujusmodi contra decreti C. Trid. formam, etiam cujusvis licentiae illis ab ap. Sede vel illarum Superioribus, cujuscumque dignitatis, status et gradus existant, etiamsi Pontificali dignitate fungantur vel Cardinalatus honore praefulgeant, concessae praetextu factas executione praedictorum ordinum omnino carere et irritas existere sicque promotas personas ministrare non posse. Quinimo ministrantes privilegiis et aliis gratiis omnino privari et irregularitatis aliasque in dicto decreto contentas poenas eo ipso incurrere, a quibus nisi a Rom. Pontifice vel in mortis articulo minime absolvi possint.

Non obstantibus quibuscumque etc.

Datum Romae prid. Id. Oct. 1568.

(Bull. r. t. X. p. 148.)

Vd.: *Ordinatio Graecor.* (n. II.)

Leo PP. XII.

Inter religiosas familias, quae Jesu Christi ecclesiam hisce temporibus ornant atque illustrent, non infimum tenet locum Congregatio sanctissimi Redemptoris a beato Alphonso Maria de Liguorio instituta. Ex eo autem maxime celebratur Congregatio haec, quod juxta ipsas ejus constitutiones ab hac apostolica Sede jam approbatas, illi, qui Deo in eadem dicant sese, non animae suae tantummodo sed aliarum quoque animarum saluti jugiter seduloque incumbere teneantur.

Porro ad ejus vel augmentum vel tranquillitatem procurandam dilectus filius Coelestinus Maria Cocle hodiernus ejusdem Congregationis Superior generalis suppliciter enixeque a Nobis petit, ut peculiaribus quibusdam privilegiis ditare eandem ipsam Congregationem de Apostolica Nostra aucto-